



**LIBRI || OFFICIALIS || SIVE AGENDAE S.|| TREVERENSIS  
ECCLESIAE PARS || POSTERIOR, IN QVA IAM PRIDEM  
RECEPTI ET || longa consuetudine confirmati  
Catholico-||rum ritus, quasi in vnum corpus ...**

**Jakob <III., Trier, Erzbischof>**

**Trevorum, 1576**

**VD16 ZV 206**

Modus agendi cum infirmis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75472](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-75472)

313  
DE ORATIONE FA-  
CIENDA IN VISITATIONE  
INFIRMORVM.

Poterit vti sacerdos forma infra scripta. Primo in-  
trans domū vel cameram infirmi dicat **Versic.** Pax  
**huic domui,** Respo. **Et omnibus habitantibus in ea.**  
Et accedens ad lectulum infirmi, eum dulciter salutet,  
ad patientiam hortetur, & aliqua verba sancta pro ipsi-  
us exhortatione & consolatione dicat. Et quia infir-  
mitas corporalis frequenter evenit propter infirmita-  
tem spiritualem, hortetur eum vt si cito velit sanari ab  
infirmitate, etiamsi infirmitas non sit multum grauis,  
integram & veram confessionem faciat de omnibus  
peccatis suis. Postmodum sacerdos dicat. **Carissime,**  
si Dominus tibi prestatre dignabitur sanitatem, nonne  
proponis de coetero pro virib<sup>o</sup> tuis a peccatis cauere &  
eius mandata pro posse seruare? **Quo promittente, di-**  
**cat sacerdos,** **Versic.** **A**diutorium nostrum in nomi-  
ne Domini, **Respon.** **Qui fecit cœlum & terrā.** **Versi-**  
**Dominus vobiscum.** **Respon.** Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

**O**remus. Introeat quæsum<sup>o</sup> Domine Iesu Christe,  
domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æ-  
terna fœlicitas: diuina prosperitas: serena lœtitia: Chá-  
ritas fructuosa: sanitas sempiterna: effugiat ex hoc lo-  
eo accessus dæmonum, adsint angeli pacis: domumq<sup>s</sup>  
hanc deserat effugata discordia. Magnifica Domine  
super nos nomen sanctum tuum: bene \* dic con-  
D d uersationi

uersationi nostræ, sanctifica nostræ humilitatis ingressum: qui sanctus & pius es, & permanes cum patre, & spiritu sancto in sæcula sæculorum. **Respo.** Amen.

**Psalmus.** Domine ne in furore. 1. sup. fol. 245.

**Versic.** Dominus vobiscū. **Respon.** Et cū spiritu tuo.  
**Versic.** Sequentia sancti Euangelij secundū Mathæū.  
**Respo.** Gloria tibi Domine. Dum sacerdos dicit. Sequentia. &c. Signum crucis faciat super se; in fonte, super os, & super pectus; & similiter super infirmum: maxime si fuerit masculus: & hoc idem in sequentibꝫ Euangelijs obseruetur.

**I**n illo tempore: Cum introisset Iesus Capharnaum: accessit ab eum Centurio rogans eum; & dicens Domine puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur. & ait illi Iesus. Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meū. Nam & ego homo sum sub potestate constitutꝫ, habens sub me milites, & dico huic vade & vadit: & alio: veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit. Audiens autē Iesus, miratus est; & sequentiibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno cœlorum; Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni; vade & sicut

sicut credidisti, fiat tibi, Et sanatus est puer eius, ex illa hora.

## ORATIO.

**O**remus. Domine sancte, pater omnipotens æternæ Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pie-tate custodis: ad invocationem nominis tui benignus assiste: ut famulum tuum ab ægritudine liberatum & sanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confir-mes, potestate tuearis: atq; Ecclesiæ tuæ sanctæ cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. **Respon.** Amen.

## PSALMVS 15.

**C**onserua me Domine quoniam speraui in te: dixi  
Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum  
memor non eges.

**S**anctis qui sunt in terra eius: mirificauit omnes vo-luntates meas in eis.

**M**ultiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acce-lerauerunt.

**N**on congregabo conuenticula eorum de sanguini-bus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

**D**ominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es restitus hæreditatem meam mihi.

**F**unes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæritas mea præclara est mihi.

**B**enedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum:

D d 2      insuper

OTARIO

insuper & vsque ad noctē increpuerunt me renes mei.

**P**rouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dexteris est mihi ne commouear.

**P**ropter hoc lætatum est cor meum & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescat in spe.

**Q**uoniam non derelinques animam meam in inferno: noc dabis sanctum tuum videre corruptionem.

**N**otas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cū vultu tuo: delectationes in dextera tua vsq; in finem.

**G**loria patri, & filio: & spiritui sancto. **Sicut** erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula. &c.

**Versi.** Dominus vobiscum. **Resp.** Et cum spiritu tuo.

**Versi.** Sequentia sancti Euangelij secundū Marcum.

**Resp.** Gloria tibi Domine.

**I**n illo tempore: Recumbentibus vndeциm discipulis apparuit illis Iesus, & exprobauit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangeliū omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autē eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent: & bene habebunt, Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in coelum, & sedet à dextris Dei. Illi autē profecti, prædicauerunt ybiq;, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

**ORATIO.**

## ORATIO.

**O**remus. Virtutum cœlestium Deus qui ab huma-  
nis corporibus omnem languorem , & omnem  
infirmitatem præcepti tui potestate depellis : adesto  
propitius huic famulo tuo , vt fugatis infirmitatibus,  
& viribus receptis , nomen sanctum tuum instaurata  
protinus sanitate benedicat. Per Dominum nostrum  
Iesum Christum , filium tuum; qui tecum viuit &  
regnat, in unitate eiusdem spiritus sancti Deus. Per  
omnia sæcula sæculorum. **Respon.** Amen.

## PSALMVS 19.

**E**xaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat  
te nomen Dei Iacob.

**M**ittat tibi auxilium de sancto : & de Sion tueatur te.

**M**emor sit omnis sacrificij tui : & holocaustum tuum  
pingue fiat.

**T**ribuat tibi secundum cor tuum ; & omne consilium  
tuum confirmet.

**L**etabimur in salutari tuo : & in nomine Dei nostri  
magnificabimus.

**I**mpleat Dominus omnes petitiones tuas : nunc cog-  
noui quoniam saluum fecit Dominus Christum suū.

**E**xaudiet illum de cœlo sancto suo : in potentatibus  
salus dexteræ eius.

**H**i in curribus , & hi in equis : nos autem in nomine  
Domini Dei nostri inuocabimus.

**I**psi obligati sunt & ceciderunt : nos autem surrexi-  
mus , & erecti sumus.

D d 3      Domine

**D**omine saluum fac regem & exaudi nos : in die qua  
inuocauerimus te.

**G**loria patri , & filio : & spiritui sancto. **Sicut erat**  
in principio , & nunc , & semper : & in saecula saeculo-  
rum: Amen.

**Vers.** Dominus vobiscum. **Resp.** Et cum spiritu tuo.

**Vers.** Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

**Respo.** Gloria tibi Domine.

**I**n illo tempore : Surgens Iesus de Synagoga introi-  
uit in domum Simonis. Socrus autem Simonis te-  
nebatur magnis febribus . Et rogauerunt illum pro  
ea. Et stans super illam imperauit febri : & dimisit illam.  
Et continuo surgens ministrabat illis. eum autem sol  
occidisset , omnes qui habebant infirmos varijs lan-  
guoribus, ducebant illos ad Iesum. At ille singulis ma-  
nus imponens curabat eos.

### ORATIO.

**O** Remus. Domine sancte , pater omnipotens , æ-  
terne Deus , qui fragilitatem humanæ conditio-  
nis infusa virtutis tuae dignatione confirmas : vt salu-  
taribus remedij corpora nostra & mentes vegeten-  
tur, super hunc famulum propitius intende: vt omni  
necessitate corporeæ infirmitatis exclusa , gratia in eo  
pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Dominum  
nostrum Iesum Christum , filium tuum ; qui tecum  
viuit & regnat , in unitate eiusdem spiritus sancti Deus  
per omnia saecula saeculorum. **Respon.** Amen.

PSALMVS

PSALMVS 85.

**I**nclina Domine aurem tuam & exaudi me : quoniam inops & pauper sum ego.

**C**ustodi animam meam quoniam sanctus sum : salvum fac seruum suum Deus meus sperantem in te.

**M**isérere mei Domine quoniam ad te clamaui tota die : lätifica animam serui tui : quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

**Q**uoniam tu Domine suavis & mitis : & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

**A**uribus percipe Domine orationem meam : & intende voci deprecationis meæ.

**I**n die tribulationis meæ clamaui ad te : quia exaudisti me.

**N**on est similis tui in dijs Domine : & non est secundum opera tua.

**O**mnes gentes quascunq; fecisti venient , & adorabūt coram te Domine : & glorificabunt nomen tuum.

**Q**uoniam maguns es tu , & faciens mirabilia : tu es Deus solus.

**D**eduç me Domine in via tua : & ingrediar in veritate tua : lätetur cor meum vt timeat nomen tuum.

**C**onfitebor tibi Domine De<sup>o</sup> me<sup>o</sup> in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

**Q**uia misericordia tua magna est super me : & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

**D**eus iniqui insurrexerunt super me , & synagoga potentium quæsierunt animam meam : & non proposuerunt te in conspectu suo.

D d 4 Ettu

**E**t tu Domine Deus miserator & misericors: patiens & multæ misericordiæ & verax.

**R**espice in me & miserere mei, da imperium tuum puerò tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ.

**F**ac mecum signum in bonum ut videat qui oderunt me & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

**G**loria patri, & filio: & spiritui sancto. **S**icut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.

**Versi.** Dominus vobiscum. **Resp.** Et cum spiritu tuo.

**Versi.** Sequentia sancti Euangeli secundum Ioannem.

**Resp.** Gloria tibi Domine.

**I**n illo tempore: Erat dies festus Iudeorum: & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis super probatica, piscina, quæ cognominatur hæbraice Bethsaida, quinq; porticus habens. in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ; sanus siebat à quacunq; detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset; quia multum iam tempus haberet, dixit ei, Vis sanus fieris? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.

Dum ve-

Dum venio enim ego , alius ante me descendit . Dixit ei Iesus . Surge , Tolle grabatum tuum , & ambula . Et statim sanus sanctus est homo ille , & sustulit grabatum suum , & ambulabat . Erat autem sabbatum in illa die . Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat . Sabbatum est : non licet tibi tollere grabatum tuum . Respondit eis . Qui me sanum fecit : ille mihi dixit . Tolle grabatum tuum , & ambula . Interrogauerunt ergo eū . Quis est ille homo qui dixit tibi : Tolle grabatum tuū . & ambula ? Is autem qui sanus fuerat effect⁹ , nesciebat quis esset . Iesus autem declinavit à turba constituta in loco , postea inuenit eum Iesus in templo : & dixit illi . Ecce sanus factus es , iam noli peccare : ne deterius aliiquid tibi contingat .

## ORATIO.

**O**remus . Respice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem : & animam refo-  
ue , quam creasti : vt castigationibus emendata , conti-  
nuo se sentiat tua medicina saluatam . Per Christum  
Dominum nostrum . **Respon.** Amen .

## PSALMVS 90.

**Q**ui habitat in adiutorio altissimi in protectione  
Dei cœli commorabitur

**D**icit Domino susceptor meus es tu : refugium meum , Deus meus , sperabo in eum .

**Q**uoniam ipse liberabit me , de laqueo venantium : &  
a verbo aspero .

S capulis

**S**capulis suis obumbrabit tibi : & sub pennis eius spectabis.

**S**cuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.

**A**sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano.

**C**adent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

**V**eruntamen oculis tuis considerabis: & retributio nem peccatorum videbis.

**Q**uoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

**N**on accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

**Q**uoniam angelis suis mandauit de te : vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

**I**n manibus portabunt te : ne forte offendas ad lapide pedem tuum.

**S**uper aspidem & basiliscum ambulabis : & concubabis leonem & draconem.

**Q**uoniam in me sperauit , liberabo eum : protegam eum quoniam cognouit nomen meum.

**C**lamauit ad me & ego exaudiā eum,cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum , & glorificabo eum.

**L**ongitudine dierum replebo eum : & ostendam illi salutare meum.

**G**loria patri , & filio : & spiritui sancto . **S**jcut erat in principio , & nunc, & semper , & in sæcula sæculorum. Amen.

aliqua 2

Media

**M**edia vita in morte sumus: quem querimus adiutorem, nisi te Domine qui pro peccatis nostris iuste irasceris: Sancte Deus, sancte fortis, sancte & misericors saluator, amaræ morti ne tradas nos. **Versic.**

**N**e proiicias nos in tempore senectutis: cum defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos Domine. **Respon.** Sancte Deus. &c. **Versic.** Muro tuo inexpugnabili circuncinge nos Domine: & armis tuæ potentia protege nos semper Deus noster. **Resp.** Sancte Deus. &c.

**Versi.** Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **Respon.**

Sancte Deus. &c. **Versi.** Gloria Patri & fil. &c. **Resp.** Sancte Deus. &c. **Kyrie eleysion.** Christe eleysion.

Kyrie eleysion. Pater noster. &c. **Versi.** Et ne nos. &c.

**Resp.** Sed libera nos. &c. **Ver.** Miserere mei Domine quoniam infirmus sum. **Resp.** Sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea. **Versic.** Post partum virgo inuiolata permansisti. **Resp.** Dei genetrix intercede pro nobis. **Versic.** Angelis suis Deus mandauit de te. **Resp.** Ut custodiant te in omnibus vijs tuis.

**Versi.** Saluum fac seruum tuum. **Resp.** Deus meus sperantem in te. **Versi.** Mitte ei auxilium de sancto.

**Resp.** Et de Syon tuere eum. **Versi.** Nihil proficiat inimicus in eo. **Resp.** Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. **Versi.** Esto ei Domine turris fortitudinis.

**Resp.** Afacie inimici. **Versi.** Domine exaudi orationem meam. **Resp.** Et clamor meus ad te veniat. **Versi.**

Dominus vobiscum. **Resp.** Et cum spiritu tuo.

### ORATIO.

Deoratione  
ORATIO.

**O**remus. Omnipotens sempiterne Deus: infirmitatem famuli tui propitius respice: atq; ad protegendum eam, dexteram tuæ maiestatis extende.

ALIA.

**C**oncede hunc famulum tuū quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitatem gaude: & gloria Beatae Mariæ semper Virginis intercessione a præsenti liberari tristitia & æterna p̄fui lætitia.

ALIA.

**D**eus, qui miro ordine, angelorum ministeria, hominumq; dispensas, concede propicius, ut quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra, vita nostra muniatur.

ALIA.

**D**eus, qui facturę tuę semper pio dominaris affectu: inclina aurem tuam supplicationibus nostris: & famulum tuum, ex aduersa valetudine sui corporis laborantem placatus respice: & visita in salutari tuo: & cœlestis gratiæ præsta ei medicinam. Per Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum, qui tecum viuit & regnat, in unitate eiusdem spiritus sancti Deus. per omnia sæcula sæculorum. **Respon.** Amen.

Completa vltima oratione sacerdos vtramq; manum ponat super caput infirmi, & dicat orationem de beato Vincentio: hanc videlicet.

**S**uper

**S**uper ægros manus imponent & bene habebunt. Iesus Mariæ filius, mundi salus, & Dominus; meritis beati Vincentij confessoris sui, sit tibi clemens & propitius. Amen.

**P**ostea dicat. Initium sancti Euangeli secundū Ioānē,  
**I**n principio erat verbum. &c. folio. 243. deinde.

**D**ominus Iesus Christus apud te sit, vt te defendat: intra te sit, vt te conseruet: ante te sit, vt te deducat: post te sit, vt te custodiat: super te sit, vt te bene ✠ dicat: Qui cum patre & spiritu sancto, in unitate prefecta vivit & regnat in secula seculorum. Amen. Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris & fi ✠ lij & spiritus ✠ sancti descendat super te, & maneat semper, **Respon**. Amen.

Prædicta oratio super infirmos potest abbreviari ad libitum.

## DE PETITIONIBVS FA- CIENDIS INFIRMO MORI- ENTI VALDE VTLIBVS.

**S**olent frequenter a personis secularibus ex deuotione aduocari sacerdotes, vt assistant morientibus. Ideoq; taliter aduocati, poterunt in tali tempore infra scriptam formam seruare, vel aliam, vt eis visum fuerit. Et primo ingredientes camerā infirmi, dicāt, **Pax huic domui** Resp. Et omnibus habitantibus in ea, Postea accedentes ad infirmū, eum dulciter salutent, & consolentur. Et si viderint cum morti proximum (si tamē

**E**e ad huc

adhuc sit capax rationis,) hortentur ad plenam sub-  
iectionem suipsius diuinę & bonitati & voluntati. Et  
cum videint eum paratum ad moriendum, sacerdos  
petat ab eo infrascriptas petitiones per ordinē, distincte  
ut eas infirmus percipere possit. **Sacerdos.** Credis tu  
omnes articulos fidei, & totam sacram scripturam se-  
cundum expositionem sanctorum doctorum & Ca-  
tholicorum? **Respondeat Infirmus.** Credo **Sacerdos.**  
**D**etestaris tu: & reprobas omnes haereses: & supersti-  
tiones a sancta matre Ecclesia catholica damnatas & re-  
probatas? **Infirmus.** reprobo **Sacerdos.** Gaudes mo-  
ri in fide Domini nostri Iesu Christi? **Infirmus.** Gaudeo  
**Sacerdos.** Cognoscis te multum offendisse Dominū  
Deum creatorem tuum, a quo tāta beneficia recepisti:  
& a quo habes quicquid boni habes? **Infirmus.** co-  
gnosco **Sacerdos.** Doles ex corde de omni offensa  
contra Dominum Deum, te ipsum, & proximum tu-  
um: qualitercunq; commissa? **Infirmus.** Doleo **Sac-**  
**D**oles de omni negligentia: & omissione bene ope-  
randi: & de contemptu gratiarum a Domino Deo tibi  
datarum? **Infirmus.** doleo **Sacerdos.** Dolos de hoc,  
non timore mortis, vel cuiuscunq; poenę: sed ex con-  
sideratione offensae diuinæ bonitatis, quā offendisti?  
**Infirmus.** Ita doleo **Sacerdos.** Desideras recordari  
omnium peccatorum tuorum oblitorum, vt de ipsis  
habere possis specialem contritionem, & dolorem, &  
poenitentiam? **Infirmus.** desidero **Sacerdos.** Propo-  
nis de cætero, si Deo placuerit, te de hac ægritudine  
liberare toto tempore vitæ tuæ cauere a peccatis mor-  
talibus

talibus: & vitam tuam mutare: & potius quodcunq;  
damnum temporale : & corporalem mortem susti-  
nere : quam Deum per peccatum mortale offendere:  
**Infirmus.** propono. **Sacerdos.** Rogas Deum , vt te in  
hoc sancto proposito conseruet: **Infirmus.** Rogo  
**Sacerdos.** Parcis omnibus inimicis tuis qui verbo, vel  
facto tibi , vel tuis in aliquo nocuerunt : amore Do-  
mini Dei tui: a quo etiam tu veniam peccatorum tu-  
orum petis : & hoc non solum verbo , sed corde; &  
firma volūtate: **Infirmus.** Parco. **Sacerdos.** **V**is om-  
nia integre restituere illis , a quibus acquisiuisses: ac-  
cipisses, vel habuisses per te, vel per alios iniuste , & in-  
debito modo : & per hoc totam facultatem tuam si  
aliter satisfacere nos possis , exponere , & eidem re-  
nuntiare: **Infirmus.** Volo, & paratus sum. **Sacerdos.**  
**C**redis non proprijs meritis , sed Passionis Domini  
nostrī Iesu Christi virtute , & merito: ad gloriam per-  
uenire: **Infirmus.** Credo. **Sacerdos.** **C**redis quod  
Dominus noster Iesus Christus pro salute nostra mor-  
tuus sit: & quod ex proprijs meritis: vel alio modo  
nullus possit saluari , nisi in merito Passionis eius:  
**Infirmus.** Credo. **Sacerdos.** **R**eddīs ei gratiam toto  
corde , quantum potes : & te ipsius passioni recom-  
mendas: & ipsam corde cogitas,& ore quantum potes  
nominas: **Infirmus.** Reddo. **Sacerdos.** **D**oles quod  
non potes recordari de omnibus peccatis tuis: quibus  
Dominum Deum offendisti : in quocunq; loco: &  
cum qualicunq; persona: quæ si recordareris, confi-  
tereris integraliter: **Infirmus.** Doleo. **Sacerdos.** **D**o-  
E e 2 les: quod

les : quod postquam veniam de peccatis tuis a Domi-  
no Deo consecutus es : reciduans reuersus es ad ea-  
dem , vel similia, vel maiora peccata<sup>e</sup> **Infirm<sup>o</sup>**. doleo,  
**Sacerdos**. Si occurrerit tibi diabolus, ei semper oppo-  
nes merita Passionis Christi<sup>e</sup> **Infirmus**. Opponam.  
**Sacerdos**. Site tentauerit de fide, dicas te omnina crede-  
re: & confiteri , quæ credit , & confitetur sancta Ca-  
tholica & apostolica Ecclesia. **Infirmus**. dicam, **Sac.**  
**S**i Dominus Deus voluerit te secundum peccata iudi-  
care , dicas: Domine Deus , ego pono mortem Do-  
mini mei Iesu Christi inter me & iudicium tuum: &  
quamuis meruerim æternam mortem propter peccata  
mea , interpono tamen meritum passionis eiusdem  
loco meriti , quod ego miser deberem habere , & non  
habeo. **Item**, Domine pono eandē passionē & mortē  
Domini mei Iesu Christi, inter me & iram tuam ; & in  
manus tuas Domine commendō spiritum meum.  
**Infirmus**. Dicam. Erit bene sperandum de salute illi-  
us, qui supra positas petitiones corde crediderit, & ore  
confessus fuerit. Finitis orationibus cum ceperit **Infir-**  
**mus** in agone mortis certare: poterunt legi passiones  
Iesu Christi secundnm 4. Euangelistas, omnes, vela-  
liquæ ipsarum : sicut necesse fuerit : & etiam repeti.

Cum autem viderint **Infirmum** signis eviden-  
tibus morti proximum, intermittentes Passi-  
ones : dicant Litanias, & faciant recō-  
mendationem animæ: ut infra.



LITANIAE

# LITANIAE PRO INFIRMO MORIENTE.

<b>K</b> Yrie eleyson.	<b>C</b> hriste eleyson	<b>K</b> yrie eleyson.
<b>S</b> ancta Maria,		ora pro eo.
<b>O</b> mnes sancti Angeli & Archangeli,		orate pro eo.
<b>O</b> mnes Chori Iustorum,		orate pro eo.
<b>S</b> ancte Abraham,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Ioannes Baptista,		ora pro eo.
<b>O</b> mnes sancti Patriarchæ & Prophetæ,		orate pro eo.
<b>S</b> ancte Petre,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Paule,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Andrea,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Bartholomœ,		ora pro eo.
<b>O</b> mnes sancti Apostoli & Euangelistæ,		orate pro eo.
<b>O</b> mnes sancti innocentes,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Stephane,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Laurenti,		ort pro eo.
<b>S</b> ancte Clemens,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Vincenti,		ora pro eo.
<b>O</b> mnes sancti Martyres,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Syluester,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Gregori,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Nicolae,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Augustine,		ora pro eo.
<b>O</b> mnes sancti Pontifices & confessores,		orate pro eo.
<b>S</b> ancte Benedicte,		ora pro eo.
<b>S</b> ancte Bernardæ,		ora pro eo.

E e 3      Sancte

<b>S</b> ancte Dominice,	ora pro eo.
<b>S</b> ancte Francisce,	ora pro eo.
<b>O</b> mnes Sancti Monachi & Heremite,	orate pro eo.
<b>S</b> ancta Maria Magdalena,	ora pro eo.
<b>S</b> ancta Lucia,	ora pro eo.
<b>S</b> ancta Katharina,	ora pro eo.
<b>S</b> ancta Cecilia,	ora pro eo.
<b>O</b> mnes sanctae virgines & viduae,	orate pro eo.
<b>O</b> mnes sancti & sanctae Dei,	orate pro eo.
<b>P</b> ropitius esto,	libera eum Domine.
<b>A</b> b ira tua,	libera eum dñe.
<b>A</b> mala morte,	libera eum dñe.
<b>A</b> poenis inferni,	libera eum dñe.
<b>A</b> potestate diaboli,	libera eum dñe.
<b>A</b> b omni malo,	libera eum dñe.
<b>P</b> er mortem tuam,	libera eum dñe.
<b>P</b> er sanctam resurrectionem tuā,	libera eum dñe.
<b>P</b> er mortem & sepulturam tuā,	libera eum dñe.
<b>P</b> er sanctam crucem tuam,	libera eum dñe.
<b>P</b> er admirabilem ascensionē tuā,	libera eum dñe.
<b>P</b> er gratiam spiritus sancti paracleti,	libera eum dñe.
<b>I</b> n die Iudicij,	libera eum dñe.
<b>P</b> eccatores,	<b>T</b> e rogamus audi nos.
<b>V</b> t ei parcas,	te rog: audi nos.
<b>V</b> t ei indulgeas,	te rog: audi nos.
<b>V</b> t ad veram Pœnitentiam eum perducere digneris,	te rog: audi nos.
<b>K</b> yrie eleyson. <b>C</b> hriste eleyson. <b>K</b> yrie eleyson.	<b>D</b> einde

Deinde pro vicino morti : cum in agone sui exitus  
vita anima fuerit anxiari, dicantur hæ orationes.

Commendatio anime ante mortem.

**P**rofici scere anima Christiana de hoc mundo : In nomine Dei Patris omnipotentis: qui te creauit: In nomine Iesu Christi Filij Dei viui : qui pro te passus est: In nomine Spiritus sancti, qui in te fusus est: In nomine Angelorum & Archangelorum : In nomine Thronorum & Dominationum : In nomine Principatum & potestatum: In nomine Cherubin & Seraphin : In nomine Patriarcharum & Prophetarum : In nomine sanctorum Apostolorum : in nomine sanctorum Martyrum & Confessorum : In nomine sanctorum Monachorum & heremitarum : In nomine virginum & omnium sanctorum & sanctorum Dei: Hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua sit in sancta Syon. Per Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum; qui tecum viuit & regnat, in unitate eiusdem spiritus sancti Deus. per omnia sæcula sæculorum. **Respon.** Amen.

**ALIA**

**D**eus misericors, Deus clemens, Deus qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles : & præteritorum criminum culpas venia remissionis euacuas : respice propitius

E e 4

super

super hunc famulum tuum. **N.** & remissionem sibi  
omnium peccatorum suorum tota cordis confessione  
poscentem deprecatus exaudi. Renoua in eo p̄iissime  
pater, quicquid terrena fragilitate corruptum vel quic-  
quid diabolica fraude violatum est: & vnitati corporis  
Ecclesiæ membrum redemptionis annexe. Miserere  
Domine gemitum. Miserere lachrimarum eius: &  
non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad  
tuę sacramētū reconciliationes admitte. Per Dominū  
nostrum Iesum Christum, filium tuum; qui tecum  
viuit & regnat, in vnitate eiusdem spiritus sancti Deus.  
per omnia s̄ecula s̄eculorum. **Respon.** Amen.

**ALIA.**

**C**ommendo te omnipotenti Deo Charissime fra-  
ter (vel soror) & ei, cuius es creatura cōmendo, vt  
cum humanitatis debitum morte interueniente per-  
solueris, ad autorem tuum, qui te de limo terræ forma-  
uerat reuertaris. Egredienti itaq; animæ tuæ de corpo-  
re splendidus Angelorum cætus occurrat. Iudex Apo-  
stolorum tibi senatus occurrat. Candidatorum tibi  
martyrum triumphator exercitus obuiet. Liliata ruti-  
lantium te confessorum turma circundet. Iubilantiū  
te virginum Chorus excipiat: & beatę quietis in sinu  
Patriarcharum te complexus astringat. Mitis atq; fe-  
stiūus Iesu Christi tibi conspectus appareat, qui te in-  
ter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores  
omne

omne quod horet in tenebris, quod stridet in flammis,  
quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterimus sa-  
thanás cum satellitibus suis in aduentu tuo cum comi-  
tantibus angelis contremiscat : atq; in æternæ noctis  
Chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & dissipen-  
tur inimici eius. Sicut deficit fumus deficiant. Sicut  
fluit cera a facie ignis sic pereant peccatores a facie  
Dei , & iusti epulentur & exultent in conspectu Dei.  
Confundatur igitur & erubescat omnes tartareæ legio-  
nes, & ministri sathanæ, iter tuum impedire non aude-  
ant. liberet te a crutatu Christus , qui pro te cruci-  
fixus est. Constituat te Christus filius Dei viui intra  
Paradisi sui semper amæna virentia , & inter oues suas  
te verus ille Pastor agnoscat, ille ab omnibus peccatis  
tuis te absoluat, atq; ad dexteram suam in electorum  
suorum te forte constituat. Redemptorem tuum facie  
ad faciem videoas : & præsens semper assistens manife-  
stissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitut⁹  
igitur inter agmina beatorum, contemplationis diui-  
na dulcedine potiaris, in sæcula sæculorum. Amen.

## ALIA.

**S**uscipe Domine animam famuli tui : in locum spe-  
randæ sibi saluationis misericordia tua. **Responsio.**  
**Amen.**

**L**ibera Domine animam famuli tui : ex omnibus pe-  
riculis infernorum , & de laqueis pænarum, & ex om-  
nibus tribulationibus. **Respon.** Amen.

**L**ibera

**L**ibera domine animā famuli tui: sicut liberasti Enoch & Hæliam de cōmuni morte mūdi, **Respon.** Amen.

**L**ibera Domine animam famuli tui : sicut liberasti Noe de diluvio. **Respon.** Amen.

**L**ibera Domine animam famuli tui : sicut liberasti Abraham de Hur Caldæorum. **Respon.** Amen.

**L**ibera Domine animam famuli tui: sicut liberasti Iob de passionibus suis. **Respon.** Amen.

**L**ibera Domine animā famuli tui : sicut liberasti Isaac de hostia , & de manu patris sui Abrahæ. **R.** Amen.

**L**ibera Domine animā famuli tui : sicut liberasti Loth de Sodomis, & de flamma ignis. **Respon.** Amen.

**L**ibera Domine animā famuli tui : sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis regis AEgyptiorū. **Ref.** Amen.

**L**ibera Domine animam famuli tui: sicut liberasti Danielē de lacu leonum. **Respon.** Amen.

**L**ibera Domine animam famuli tui : sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardantis. **Respon.** Amen.

**L**ibera Domine animam famuli tui : sicut liberasti Sussannam de falso crimine. **Respon.** Amen.

**L**ibera Domine animā famuli tui : sicut liberasti Dauid de manu regis Saul, & de manu Goliæ. **R.** Amen.

**L**ibera Domine animam famuli tui: sicut liberasti Petrum & Paulum de carceribus. **Respon.** Amen.

**E**t sicut beatissimam Teclam virginem, & Martyrem de tribus tormentis atrocissimis liberasti : sic liberare digneris animam famuli tui huius : & tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. **Respon.** Amen.

150d. 1

ALIA

## ALIA.

**C**ommendamus tibi Domine animam famuli tui,  
**N.** Precamurq; te Domine Iesu Christe, saluator  
 mundi, vt eam propter quam ad terram misericorditer  
 descendisti patriarcharum tuorum sinibus insinuare  
 non rentias. Agnosce Domine Creaturam tuam non  
 ex dijs alienis creatam, sed à te solo Deo viuo & vero:  
 quia non est Deus alius præter te: & non est secundum  
 opera tua, lētifica Domine animā eius in cōspectu tuo  
 & ne memineris iniquitatum eius antiquarū, & ebrie-  
 tatum, quas suscitauit furor siue feroꝝ mali desiderij.  
 Licet enim peccauerit, tamen patrē , filium , & spiritū  
 sanctum non negauit, sed ctedidit, & Zelum Dei in  
 se habuit, & Deum qui omnia fecit adorauit. **Respon.**  
 Amen.

## ALIA.

**D**elicata iuuentutis & ignorantias eius ne memine-  
 ris quæsumus Domine, sed secundum magnam  
 misericordiam tuam memor esto illius ingloria clari-  
 tatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collētentur illi angeli, in  
 regnum tuum Domine seruum tuum suscipe, Susci-  
 piat eum sanctus Michael Archangelus Dei, qui mili-  
 tiæ cœlestis meruit Principatum . veniant illi obuiam  
 angeli sancti Dei, & perducant eum in ciuitatem co-  
 lestem Ierusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apo-  
 stolus cui a Deo claves regni cœlestis traditæ sunt. Ad-  
 iuuet eū sanctus Paulus : qui dign⁹ fuit esse vas electio-  
 nis. Intercedat pro eo sanctus Ioānes electus Dei Apo-  
 stol⁹ & Euangelista : cui reuelata sunt secreta cœlestia.

Orent

Orent pro illo, omnes sancti Apostoli quibus a Domino data est potestas ligandi atque soluendi. Intercedant pro eo omnes sancti & electi Dei: qui pro Christi nomine tormenta in hoc seculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus; peruenire mercatur ad gloriam regni coelestis, prestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in saecula saeculorum. **Respon.** Amen.

*Sequentes orationes dicendae sunt super agonizante in transitu, deuote, ut infirmus audire possit.*

**O** Sancta Trinitas, Pater, fili, & spiritus alme, omnipotens aeternae Deus: tua immensa attracti ac moti pietate pro anima famuli tui, **N.** nunc in extremis laborantis, te deprecari compellimus: & ipsam sacratissimam diuinam tuam piaissimam omnipotentiam commendamus: ut illum ab insidijs, aspectu quoque & tetrore daemonum custodiendo tuearis, ne fidem repente perdens, quam tenuit, pessimam desperationis labatur in foueam: ne diffidentiae temptationibus cedat: ne praeteritorum scelerum recordatione desperet. Exaudi rex gloriose tuam suauissimam & clementissimam beatitudinem pro eo interpellantes. Exaudi inquit per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per victoriam martyrum, per fidem confessorum, per virginum puritatem, per deuotam intercessionem omnium, qui tibi ab initio placuerunt, & tecum modo regnantes inexcogitabili felicitate letantur. Ab ipso Domine iactantiam repelle, tribue compunctionem.

## Supra infirmos.

337

punctio[n]eē, suscita fletū, cor eius mollifica, ab omnibus insidijs inimici illā tuere, fidei tuę lumine cōfirma, gratiæ tuæ infunde charitatem: vt in te rex omnipotēs & in tua pietate confidens, omnium culparū vera contritione ab intimis visceribus concutiatur. Clementissime Domine omnia iniqua desideria ab illa rescinde, ignea tela diaboli extingue, lagire fontem lachrimarum: quibus iniquitatum suarum tergat maculas, vincula dirumpat. fac eam Domine salubriter petere, audire que petit, atq; celeriter exaudi. Si pie respicis, viuet: si despicias perijt. Si iustitia vteris ante oculos tuos mortua fætet: Si misericorditer vt tuam bonitatem decet aspexeris, a desperationis barathro revocatur. Respice Domine sancte Pater dilecti filij tui vulnera & crux. Domine Iesu Christe rex Pijssime qui venisti redimere perditos: noli damnare redemptos. Da illi Domine corporum quod te timeat, sensum vigilem qui tē intellegat: Simplicem oculum, intentionem rectam, qua te sequatur. Domine Iesu Christe fili Patris misericordiarū & reginæ misericordiæ gloriose virginis Mariæ: animæ huius famuli tui miserere: & eam de maiestatis tuæ sede clementer aspiciens, ab illa repelle tenebras: & eam splendoribus tuę claritatis illustra. Clemētissime Domine Iesu a tua pietate culparum eius remissionem humiliter petimus, qui Deo Patri mundū tuo crux gratum reddidisti. O fons Pietatis non consueuisti esse crudelis. Tuæ dilectissimæ genitricis preces ne spernas. **O** gloria regina mundi Maria: virgo pulcherrima: virgo misericors: quæ genuisti regē velut rosa decora,

F f illos tuos

illos tuos misericordes oculos ad seruum tuum **N.**  
misericorditer conuerte, tu quæ peccatorū aduocata  
prædicaris, prima eorum spes: quæ nulli claudere po-  
tes sinum tuæ pietatis. O misericordię mater: ecce  
tempus patrocinandi: quando famulus tuus, **N.** iu-  
dicem iratum sentiens: protectionis tuæ gratiam ef-  
flagitat. Eia ergo aduocata nostra, occurre velociter.

**O** Gabriel archangele qui salutem mundi nunciasti.  
**O** Sancte Michael, qui draconē acherōtis expugnasti:  
**O** Sancte Raphael, qui filium iusti salubriter deduxisti.  
**O** Angele custos huius Dei seruuli. **O** Cœlestes ange-  
lorum omnium Chori, nec non Patriarcharum, Pro-  
phetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum,  
Sacerdotum, Leuitarum: Monachorum, Eremitarū,  
virginum omniumq; iustorum, per amorem ineffabili-  
lem agni immaculati Iesu Christi, regis vestris, qui vos  
de mundo elegit, cuius leta visione gaudetis, vos pro  
huius fratris nostri anima deprecamur, vt eam vestris  
precibus iuuare dignemini: quatenus diaboli faucibus  
erepta saluetur, & vestræ iocundissimæ societati leta  
iungatur. **O** Rex clementissime Deus omnipotens.  
**O** Saluator mundi Iesu pie. qui omniū in te sperantū  
misereri consueuisti, propter orationes Dei genitricis:  
& omnium sanctorum & electorum Dei famulo tuo;  
**N.** quæsumus miserere: quatenus in Passionis tuæ  
merito ac sanguine a peccatorum suorum maculis  
ablutus æternaliter in tuo regno glorietur. Amen.

**O** Suauissime Domine Iesu Christe, beatorum re-  
quies, & omnium in te sperantim salus iocun-  
dissima;

dissima: qui in nocte dirae passionis tuę ad patrem orasti,  
dicens, Pater; si possibile est transeat a me calix iste, ve-  
runtamen non mea voluntas, sed tua fiat: quiq; in  
illa hora, in tata fuisti angustia, vt de precioso corpore  
tuo sanguis efflueret, deprecamur te bone Iesu: qua-  
tenus animam famuli tui, **N.** tua solita pietate iuues,  
vt pro suis delictis conteratur & moueat ad poenitē-  
tiā salutarem, vt in hac hora tremebunda, in occur-  
su aduersarij non paueat: in aduentu, aut aspectu tuo  
Iudex tremende, accusante conscientia, contremiscat:  
sed potius faciem tuam, in iubilo videns letetur: te pre-  
stante Iesu Christe: cuius est passione redēptus, Amen:

**O** Dulcissime Rex, Iesu pie, qui in tuę passionis hor-  
rēda nocte a discipulis tuis destitutus, inter aduer-  
sarios tuos solus stetisti, tuę pietati supplicamus, vt  
animam famuli tui, **N.** in suo obitu solam non relin-  
quas in manibus iniquorum dæmonum, auxilio tuo  
destitutam: sed tua virtute & tuorum angelorum san-  
ctorum societate securam, ad locum beatissimę tuę  
visionis, per sanguinis tui virtutem, letanter deducas.  
Amen.

**O** Domine Iesu Christe, decus & gloria sanctorum:  
qui pendens in cruce, pro tuis diris crucifixoribus  
patrem rogasti, dicens: pater ignosce illis, quia nesciūt  
quid faciunt: tuam pietatem precamur pie Iesu, vt in  
mente seruuli tui, **N.** orationis tuę renouare digneris  
affectionem: quatenus offendarum omnium ab aeterno  
patre venia consequatur, & sicut tunc exauditus fuisti

F f 2 tu Domi-

tu Domine ac rex, sic nunc cum patre seruos ac milites tuos exaudire digneris pro seruulo tuo. **N.** qui nescit quid faciat, dum fidei & sensus exiguitate tepeſcit. Rogamus pie Iesu vt in obitu eius omnia sua peccata dimittas, & pro tuo diræ passionis merito ad angelorum confortia deducatur. Amen.

**O** Sacratissime Domine Iesu Christe, saluator, qui propter nostra scelera abolēda, post crudelia verbera, post pudibunda opprobria, post irrisiūam & afflictuām aculeorum coronam: in cruce nudus instar latronis affigi elegisti, exoramus te pie, IE SV per has passiones tuas, vt animam famuli tui in extremis laborantem suorum peccatorū dolorosa confessione verberes: vera contritione confundas: vero timore corones: & in cruce tua omnes sensus mētales eius affigas. quatenus sic totus a te spiritualiter vulneratus, tuorū vulnerum merito omnium delictorum suorum veniā consequatur, & ad gaudia cœlestia perducatur. Amē:

**O** Gloriosissime Rex, Iesu Christe angelorum dulcedo: qui affixus Crucis pro nobis veram fidei lucē latronis cordi infudisti, vt te verum Deum & verum hominem fateretur, dum clamauit, Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, maiestatem, tuam suppliciter exoramus, vt in famulo tuo, **N.** in extremis laborante conseruare digneris veræ fidei sacramentum: vt sacratissimæ tuæ passionis merito, tua veritate, tuoq; amore loricatus, in suo obitu spiritus immun-

immundos nequaq; vereatur , sed tuam perpetuam gloriā adeat iubilanter. Amen.

**O** Clementissime Domine Iesu , verbum æterni patris , & filij virginis gloriose: qui mundum visibiliter deserens , & solicitudini maternæ compatiens, ei dilectum discipulum in filium adoptasti : humiliter tuæ maiestati supplicamus per merita tuę passionis & per eiusdem tuæ inclitæ matris preces , nec non tui dilecti discipuli : quatenus digneris in animam huius serui tui spiritum tuę Charitatis infundere: in quo tibi cohæres , Deo patri adoptetur in filium . Committe quæsumus de throno gloriæ tuæ huius famuli tui, **N.** anima clementissimæ tuæ matri: quatenus in mortis agone non paueat sed virginalibus tibi manibus presentata , clementer suscipiatur a te in tua gloria , cum sanctis tuis collocanda. Amen.

**O** Clementissime Domine Iesu corona certantium: qui moriturus in cruce docuisti nos compendiose , tempore mortis orare , dicens : Pater in manus tuas commendō spiritum meum; tuæ maiestati supplicamus , vt spiritus sancti virtute , eandem orationem mēti huius famuli tui digneris imprimere; vt eam personet semper , & in hac extrema hora eius sentiat effectum , in tuas sanctissimas manus suam animam commendando. Amen.

**O** Misericordissime Domine Iesu generis humani reparator: qui in die tuæ acerbissimæ passionis in

F f 3 neruorū

neruonum contractione, ossium compressione, spinarum punctione, pñnam acerbissimam pertulisti, & latus tuum, vnde sanguis & aqua flueret, aperiri voluisti: te deprecamur Domine, vt animam famuli tui,  
**N.** virtutum splendore illustres: & spinarum tuarum merito illi tribuas de offensis ab ea tibi illatis dolere vehementer: vt omnia eius delicta tuæ passionis acerbitate deleantur, & ad angelorum societatem, te ducente valeat peruenire. Amen.

**O** Clementissime Domine Iesu Christe, qui pro nobis in cruce mori dignatus es, te precamur, vt omnes tuas passiones & amaritudines, quas pro nobis miserrimis in diro ligno tulisti: presertim quando sanctissima anima tua de virgineo & purissimo habitaculo tui corporis egressa est, offerre & ostendere digneris Deo patri omnipotenti contra omnes poenas & passiones serui tui, **N.** & liberare eum digneris in hoc suo transitu ab omnibus passionibus & poenis, quas pro peccatis suis se contraxisse timet. Amen.

**O** Misericordissime Domine Iesu Christe: qui propheticō ore dixisti, In Charitate perpetua dilexi te, Ideo attraxi te miserans: tibi humiliter supplicamus, quatenus eandē Charitatem quæ te de coelo traxit ad terras laboraturum pro nobis & moriturum, offerre & ostendere digneris, Deo patri omnipotenti, contra omnes huius famuli tui, **N.** passiones & poenas, quas pro suis sceleribus meretur; & animam cius in suo

obitu per manus sanctorum angelorum excipere. Aperi illi benignissime IESV ianuam vitæ & regni syderei : & in eo illum fac cum sanctis tuis perpetua fœlicitate letari. Amen.

**O**pissime Dei hominumq; mediator Iesu Christe: qui debitas nobis poenas in tuo passibili corpore pro nostra salute tulisti, & vt eas guftares amariores, in hora tuæ passionis deitatis rationisq; solatium a tuis sensibus sustulisti, eos destitutos omni solatio in doloribus linquens, dum clamasti, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: oramus tuam pietatem: vt animam famuli tui, **N.** tua suauissima consolacione foueas, erigas, & lætifices: Nam si deserueris illum pastor æterne, mox lupus rapax diabolus in eum irruet efferatus & crudelis, & ouem quam tuo sanguine quæsiuisti iugulabit. Et licet demeritis suis exigentib; a te deseriri meretur, te nihilominus propter tuam bonitatem rogamus: ne illum tradas aduersarijs diffidentiae & desperationis stimulis affigendum, nec ad gratiam tuam durum aut insensibilem effici patiaris: pia voce gemedo clamēt ad te, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? Tu autem opissime pater ac bone pastor, tua suati pietate succurre: qui eum tibi tuo sanguine redemisti. Amen.

**O**perfectissime Dei hominumq; mediator, IESV Christe saluator: qui præ solis ardore & tormentis

F f 4 torum

torum asperitate & sanguinis tui effusione, corpora-  
lem sitim in duro ligno tulisti: dum clamasti, Stio; tu-  
am precamur maiestatem; vt animam famuli tui, **N.**  
illo nunc amoris igne digneris adurere, quem in terris  
mittere venisti, vt cunctis vitijs exsiccatis, anima eius  
& caro tuæ charitatis igne succensa, te solum sitiat, te  
diligat, te perquirat, vt te inueniens, te fruatur sa-  
cratissime Domine Iesu Chtiste, omne bonum com-  
plens atq; consummās. Qui gustato aceto dixisti, con-  
sumatū est, & inclinato capite spiritum Deo patri red-  
didisti: supplicamus tuæ maiestati, pro anima famuli  
tui, **N.** laborantis in mortis agone; quatenus illi, fidei  
lumen, & gratiæ tuæ sanitatem insfundas: vt horam ex-  
tremam in sancta tua charitate finire, & tibi dicere va-  
leat, Ecce clementissime IE SV nunc ad te venio, tua  
melliflua voce meum spiritum suscipi iube in æternā  
claritatem. Amen.

**O** Clementissime Iesu solarium miserorum, tu no-  
stra peccata in tuo corpore portasti, quia tu es vere  
Deus de quo Esaias dixit, lâguores nostros ipse tulit, &  
dolores nostros ipse portauit: adeo vt in tuo virgineo  
corpore, a planta pedis vsq; ad verticem sanitas vlla nō  
fuerit: & qui præ filijs hominū eras speciosus quasi le-  
prosus videreris: per hanc tuā ineffabilē charitatē pre-  
camur pie Iesu, vt onia peccatorū vulnera in **N.** famu-  
lo tuo sanes: quatenus omnibus vitijs emūdatus, ad te  
regē, factore suū spirituali solatio roboratus, letus per-  
ueniat, & quē tuo sanguine cōparasti: & tuæ passionis  
signo,

Signo, id est, sancta cruce muniri semper voluisti ad tuam nunc fœlicissimam visionem, omnium passionum tuarum merito, comitantibus sanctis angelis deducere digneris. Amen.

Sequentes orationes sunt ad virginem Mariam.

**O** Decus cœli, virgo regis æterni, mater intacta, propter illum te rogamus terrorem, quo tuum cor tremuit, quando dilectum tuum & amantissimum filium Iesum ab impijs captum, ligatum, tractum, ab amicis autem omnibus derelictum audisti, ut seruulū tuum, **N.** in extremis laborantem, & trementem adiuves: ut de præteritis culpis veraciter conteratur, & cor eius supernis splendoribus irradiatum, veraciter pœniteat: ne forte in occursu aduersarij terreatur, aut in aspectu tremendi iudicis accusante conscientia cōtremiscat, sed potius tuis precibus suffragantibus facie eius in iubilo videns, lætetur. Amen.

**O** Virginum suauissima, deiq; genitrix Maria, stella marisper, eas te rogamus lachrymas & singultus, quibus tuum nobile & maternum cor angebat, quando tuam spem, Iesum pulcherrimum præsentatum præsuli cognouisti, innocentem accusatum, & contumelijs illusum: ut huic famulo tuo, **N.** lachrymarum gratiam impetres, & fidei lumen indeleibile, quæ maculas omnium delictorum suorum possit abluerre. Et tu mater misericordiæ eū nunc celeriter adiuua, ne satanas illudere, aut varijs tentationib<sup>o</sup> pro libito suæ ini-

suæ iniquissimæ voluntatis affligere pôssit , aut tremebundo iudici vincitum statuere . sed potius seipsum per lumen fidei iudicet in præsenti , ac disciplinis verè pœnitentiæ deuotè flagellet . Amen.

**O** sola sperantium omnium spes Maria , regina cœlorum : Propter illas te precamur angustias , quas tuum piissimum cor tulit , quando tuus filius & noster Dominus Iesus Christus verbum æterni patris clamantibus & vociferantibus Iudeis , crucifige crucifige , morti adiudicatus , & ignominioso crucis suspendio addictus est : quatenus subuenias clementissima regina , & mater pientissima , huic seruulo tuo , **N.** in extremis laboranti : quia & corpus eius infirmitatis dolore torquetur ; & augstiatur anima : hinc dæmonum insidijs ; hinc feueræ discussionis angustijs . Subueni , inquam , o mater pietatis , o gratiosissima virgo , ne contra illum feratur mortis æternæ sententia , aut flammis æternalibus tradatur perpetuò cruciandus : sed tua potius intercessione , premia æterna consequatur . Amē .

**O** Clementissima virgo Maria , Dei genetrix : Propter illum tibi supplicamus gladium doloris , qui tuam pertransiuit animam cum dilectissimum filium tuum Iesum , nudum & cruentum , & diris vulneribus confossum in aera super crucis ligno eleuatum conspexisti : quatenus in hac hora terribili , huic seruulo tuo , **N.** sis adiutorio : vt compassionis gladio confodiatur , vulneretur lancea diuini amoris , ita , vt omnium peccatorū sanguis noxius de corde suo effluat ,  
vitijsq;

vitijsq; mundetur , decoreturq; virtutibus diuinis:  
quatenus toto desiderio terrena relinquēs, in cœlestia  
subleuetur, ad q̄ lætanter te duce perueniat. Amen.

**O** Maria tribulatōrū pīssima consolatrix , per illud  
te rogamus horibile tormentum, quod pene cor  
tuum omnesq; tuos sensus extinxit , quando filium  
tuum Dominum nostrum Christum te Ioanni in ma  
trem, & Ioannem tibi in filium delegantem audiūsti:  
quatenus huic famulo tuo, **N.**, subuenire digneris;  
qui ad te inuocandam assurgere non potest: quippe  
quoniam oculi eius luce priuantur: surdescunt aures,  
omnesq; sensus obscurantur. O Mater pietatis, preces  
nostras exaudi: quas auribus tuæ pietatis offerimus:  
atq; famuli tui spiritum filio tuo commenda: quate  
nus tuo pio interuentu, terrores dæmonum, tormen  
taq; non timeat: sed desideratam cœlestis patriæ man  
sionem te comite, letus adeat. Amen.

**O** Decus & gloria virginum Maria, Iesu Christi ma  
ter: Propter tuos te rogamus eiulatus , quos imo  
pectore profumpentes abscondere non valebas , quā  
do in amplexus filij de cruce depositi ruebas, & nitētes  
quondam genas , oraq; rutilantia , pallore mortis oc  
cupata , mirabaris ; vt seruulo tuo, **N.** suffragari , ve  
luti mater pia digneris, quatenus sic de admissis crimi  
nibus doleat , vt eius anima mellefluis osculis , & al  
moris amplexibus Domini Iesu Christi in beatorum  
regno fruatur. Amen.

**O** Maria

**O** Maria virgo pulcherrima, virgo humillima virgo clementissima, virgo gratosissima, propter illa suspiria atq; lamenta inaudita, quibus tuum dulcissimū cor excruciat, quando animæ tuæ solatiū unicum, Iesum filium tuum, & saluatorem nostrum sepulturæ tradi cernebas, adiuua famuli tui, **N.** animā in hac lachrimarum valle laborantem: ut in egressu de corpore virginalibus tuis manibus ereta, dederetur in cœlum. Amen.

**PSALMI DICENDI IN A.  
GONE MORTIS SVPER IN-  
FIRMVM.**

*Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi.*

**PSALMVS. 117.**

**C**onfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

**D**icat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

**D**icat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia eius.

**D**icant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia eius.

**D**e tribulatione inuocauit Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.

**D**ominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

**D**ominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

**Bonum**

**B**onum est confidere in Domino: quam confidere in homine.

**B**onū est sperare in Domino: quā sperare in principib⁹.

**O**mnes gentes circumierunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

**C**ircundantes circundederunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

**C**ircūdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

**I**mpulsus euersus fū, vt caderē: & Domin⁹ suscepit me.

**F**ortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

**V**ox exultationis & salutis: in tabernaculis iustorum.

**D**extera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem,

**N**on moriar sed viuam, & enarrabo opera Domini.

**C**astigās castigauit me Dōin⁹: & morti nō tradidit me.

**A**perite mihi portas iustitiæ, ingress⁹ in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

**C**onfitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

**L**apidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.

**A**Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

**H**æc est dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.

**O** Domine saluum me fac, o Domine bene prosperate, benedictus qui venit in nomine Domini.

**G g B**enedi-

**B**enediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.

**C**onstituite diem solemnem in condensis: usq; ad cornu altaris.

**D**eus meus es tu & confitebor tibi: Deus meus es tu & exaltabo te.

**C**onfitebor tibi quoniam exaudiisti me: & factus es mihi in salutem.

**C**onfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius. PSALMVS 118.

**B**eatimi immaculati in via: quia in ambulant in lege Domini.

**B**inati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

**N**on enim qui operantur iniquitatem: in vijs eius ambulauerunt.

**T**u mandasti mandata tua: custodiri nimis.

**V**tinam dirigantur viæ meæ: ad custodiendas iustificationes tuas.

**T**unc non confundar: cum prospexero in omnibus mandatis tuis.

**C**onfitebor tibi in directione cordis: in eo quod didicisti iudicia iustitiae tuæ.

**I**ustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaq;

**I**n quo corrigit adolescentior viam suam: in custodiendo sermones tuos.

**I**n toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis.

**I**n corde

**I**n corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccē tibi.  
**B**enedictus es Domine: doce me iustificationes tuas.  
**I**n labijs meis pronunciaui: omnia iudicia oris tui.  
**I**n via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut  
in omnibus diuinitatis.  
**I**n mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.  
**I**n iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar  
sermones tuos.  
**R**etribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermo-  
nes tuos.  
**R**evela oculos meos: & considerabo mirabilia de le-  
ge tua.  
**I**ncola ego sum in terra: non abscondas à me man-  
data tua.  
**C**oncupiuit anima mea desiderare iustificationes tu-  
as in omni tempore.  
**I**ncrepasti superbos: maledicti qui diclinant à man-  
datis tuis.  
**A**ufer à me opprobrium & contemptum: quia testi-  
monia tua exquisiui.  
**E**tenim sederunt principes & aduersum me loquebā-  
tur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationi-  
bus tuis.  
**N**am & testimonia tua meditatio mea est: & consili-  
um meum iustificationes tuæ.  
**A**dhæsit paumento anima mea: viuifica me secundū  
verbum tuum.  
**V**ias meas enunciaui & exaudistis me: doce me iusti-  
ficationes tuas.

G g 2 Viam

**V**iam iustificationum tuarum instrue me : & exercebor in mirabilibus tuis.

**D**ormitauit anima mea prætatio : confirma me in verbis tuis.

**V**iam iniquitatis amoue à me: & de lege tua misere mei.

**V**iam veritatis elegi : iudicia tua non sum oblitus.

**A**d hæsi testimonij tuis Domine : noli me confundere.

**V**iam mandatorum tuorum cucurri : cum dilatasti cor meum,

**L**egem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum : & exquiram eam semper.

**D**a mihi intellectum & scrutabor legem tuam : & custodiam illam in toto corde meo.

**D**educ me insemita mandatorum tuorum : quia ipsam volui.

**I**nclina cor meum in testimonia tua: & non in avaritiam.

**A**uerte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua viuifica me.

**S**tatue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

**A**mputa opprobrium meum quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.

**E**cce concupiui mandata tua : in æquitate tua viuifica me.

**E**t viciat super me misericordia tua Domine : salutare tuum secundum eloquium tuum.

**E**t respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speraui in sermonibus tuis.

**E**t ne

**E**t ne auferas de ore meo verbū veritatis vsquequaq;:  
quia in iudicijs tuis supersperauit.

**E**t custodiam legem tuam semper, in s̄eculum : & in  
s̄eculum s̄eculi.

**E**t ambulabam in latitudine : quia mandata tua ex-  
quisiui.

**E**t loquebar de testimonijis tuis in conspectu regum:  
& non confundebar.

**E**t meditabar in mandatis tuis : quæ dilexi.

**E**t leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi : &  
exercebor in iustificationibus tuis.

**M**emor esto verbi tui seruo tuo : in quo mihi spem  
dedisti.

**H**æc me consolata est in humilitate mea : quia elo-  
quium tuum viuificauit me.

**S**uperbi inique agebant vsquequaque : à lege autem  
tua non declinaui.

**M**emor fui iudicorum tuorum à s̄eculo Domine : &  
consolatus sum.

**D**efectio tenuit me : pro peccatoribus derelinquenti-  
bus legem tuam.

**C**antabiles mihi erant iustificationes tuæ : in loco pe-  
regrinationis meæ.

**M**emor fui nocte nominis tui Domine : & custodiui  
legem tuam.

**H**æc facta est mihi : quia iustificationes tuas exquisiui.

**P**ortio mea Domine : dixi custodire legem tuam.

**D**epricatus sum faciem tuam in toto corde meo : mi-

G g 3 ferere

serere mei secundum eloquium tuum.

**C**ogitaui vias meas & conuersti pedes meos : in testimonia tua.

**P**aratus sum & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.

**F**unes peccatorum circumplexi sunt me : & legem tuam non sum oblitus.

**M**edia nocte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustificationis tuæ.

**P**articeps ego sum omnium timentium tecum : & custodientium mandata tua.

**M**isericordia tua Domine plena est terra : iustifications tuas doce me.

**B**onitatem fecisti cum seruo tuo Domine : secundum verbum tuum.

**B**onitatem & disciplinam & scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

**P**riusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquii tuum custodiui.

**B**onus es tu : & in bonitate tua doce me iustifications tuas.

**M**ultiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

**C**oagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem tuam meditatus sum.

**B**onum mihi quia humiliasti me : vt discam iustifications tuas.

Bonum

**B**onum mihi lex oris tui : super milia auri & argenti:  
**M**anus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me: da mihi  
intellectum ut discam mandata tua.

**Q**ui timent te videbunt me : & letabuntur : quia in  
verba tua supersperauit.

**C**ognoui Domine quia æquitas iudicia tua : & in ve-  
ritate tua humiliasti me.

**F**iat misericordia tua ut consoletur me : secundum e-  
loquium tuum seruo tuo.

**V**eniant mihi miserationes tuæ & viuam : quia lex tua  
meditatio mea est.

**C**onfundantur superbi quia iniuste iniquitatem fece-  
runt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

**C**onuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt te-  
stimonia tua.

**F**iat cor meum immaculatum in iustificationib⁹ tuis:  
ut non confundar.

**D**efecit in salutari tuo anima mea: & in verbum tuum  
supersperauit.

**D**efecerunt oculi mei in eloquium tuum , dicentes  
quando consolaberis me?

**Q**uia factus sum sicut vter in pruina , iustificationes  
tuas non sum oblitus.

**Q**uot sunt dies servi tui , quando facies de persecuen-  
tibus me iudicium?

**N**arrauerunt mihi iniqui fabulationes , sed non ut  
lex tua.

G g 4 Omnia

**O**mnia mandata tua veritas : iniqui persequuntur me adiuua me.

**P**aolo minus consummauerunt me in terra : ego autem non dereliqui mandata tua.

**S**ecundum misericordiam tuam iuuifica me : & custodiam testimonia oris tui.

**I**n eternum Domine : verbum tuum permanet in celo.

**I**n generatione & generationem veritas tua : fundasti terram, & permanet.

**O**rdinatione tua perseverat dies : quoniam omnia seruiunt tibi.

**N**isi quod lex tua meditatio mea est : tunc forte perirem in humilitate mea.

**I**n eternum non obliuiscar iustificationes tuas ; quia in ipsis iuuificasti me.

**T**uus sum ego saluum me fac : quoniam iustificationes tuas exquisui.

**M**e expectauerunt peccatores, ut perderent me : testimonia tua intellexi.

**O**mnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

**Q**uomodo dilexi legem tuam Domine : tota die meditatio mea est.

**S**uper inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in eternum mihi est.

**S**uper omnes docentes me intellexi : quia testimonia tua meditatio mea est.

**S**uper

**S**uper senes intellexi : quia mandata tua quæsiui,  
**A**b omni via mala prohibui pedes meos : ut custodi-  
am verba tua.

**A**iudicijs tuis non declinaui : quia tu legem posuisti  
mihi.

**Q**uam dulcia faucibus meis eloquia tua : super mel  
ori meo.

**A**mandatis tuis intellexi : propterea odiui omnem vi-  
am iniquitatis.

**L**ucerna pedibus meis verbum tuum : & lumen se-  
mitis meis.

**I**uraui & statui : custodire iudicia iustitiæ tuæ.

**H**umiliatus sum vsquequaque Domine : viuifica me  
secundum verbum tuum.

**V**oluntaria oris mei beneplacita fac Domine : & iu-  
dicia tua doce me.

**A**nima mea in manibus meis semper : & legem tuam  
non sum oblitus.

**P**osuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis  
tuis non errauit.

**H**æreditate acquisiui testimonia tua in æternum : quia  
exultatio cordis mei sunt.

**I**nclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas  
in æternum : propter retributionem.

**I**niquos odio habui : & legem tuam dilexi.

**A**diutor & susceptor meus es tu : & in verbum tuum  
supersperauit.

**D**eclineat à me maligni : & scrutabor mandata Dei  
mei.

**Stuscipe**

**S**uscipe me secundum eloquium tuum & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.

**A**diuua me & saluus ero: meditabor in iustificationibus tuis semper.

**S**preuisti omnes discedentes à iustitijs tuis: quia iniusta cogitatio eorum.

**P**ræuaticantes reputauit omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.

**C**onfige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.

**F**eci iudicium & iustitiam: non tradas me calumniantibus me.

**S**uscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

**O**culi mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium iustitiae tuæ.

**F**ac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam: & iustificationes tuas doce me.

**S**eruus tuus sum ego: da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

**T**empus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuā.

**I**deo dilexi mandata tua: super autum & topazium.

**P**ropterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

**M**irabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

**D**eclaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.

**O**s meum aperui & attraxi spiritum: quia mandata tua desi-

tua desicerabam.

**A**spice in me & miserere mei: secundum iudicium diligentium nomen tuum.

**G**ressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.

**R**edime me à calumnijs hominum: vt custodiam mandata tua.

**F**aciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.

**E**xitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

**I**ustus es Domine: & rectum iudicium tuum.

**M**andasti iustitiam, testimonia tua: & veritatem tuam nimis.

**T**abescere me fecit zœlus meus: quia oblii sunt verba tua inimici mei.

**I**gnitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud.

**A**dolescentulus sum ego & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.

**I**usticia tua iusticia in æternum: & lex tua veritas.

**T**ribulatio & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

**E**quitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi & viuam.

**C**lamauis in toto corde moe exaudi me Domine: iustificationes tuas requiram.

**C**lamauis ad te, & saluum me fac: vt custodiam mandata tua.

P̄teueni

**P**reueni in maturitate & clamaui : quia in verba tua supersperauit.

**P**reuenenerunt oculi mei ad te diluculo : ut meditaret eloquia tua.

**V**ocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine : & secundum iudicium tuum viuifica me.

**A**ppropinquauerunt persequentes me iniquitati : alege autem tua longè facti sunt.

**P**ropè es tu Domine : & omnes viæ tuæ veritas.

**I**nicio cognoui de testimonij tuis : quia in æternum fundasti ea.

**V**ide humilitatem meam & eripe me : quia legem tuam non sum oblitus.

**I**udica iudicium meum & redime me: propter eloquum tuum viuifica me.

**L**onge à peccatoribus salus : quia iustificationes tuas non exquisierunt.

**M**isericordia tuæ multæ Domine : secundum iudicium tuum viuifica me.

**M**ulti qui persequuntur me & tribulant me : à testimonij tuis non declinaui.

**V**ide præuaricantes & tabescetebam : quia eloquia tua non custodierunt.

**V**ide quoniam mandata tua dilexi Domine : in misericordia tua viuifica me.

**P**rincipium verborum tuorum veritas : in æternum omnia iudicia iusticiæ tuæ.

**P**rincipes persecuti sunt me graties : & à verbis tuis formidauit cor meum.

**L**ætabor

**L**ætabor' ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spo-  
lia multa.

**I**niquitatem odio habui & abominatus sum: legem  
autem tuam dilexi.

**S**epties in die laudem dixi tibi: super iudicia iusticiæ  
tuæ.

**P**ax multa diligentibus legem tuam: & non est illis  
scandalum.

**E**xpectabam salutare tuum Domine: & mandata tua  
dilexi.

**C**ustodiuuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea  
vehementer.

**S**eruauit mandata tua & testimonia tua: quia omnes  
viæ meæ in conspectu tuo.

**A**ppropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Do-  
mine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

**I**ntret postulatio mea in conspectu tuo: secundum  
eloquium tuum eripe me.

**E**ructabunt labia mea hymnum: cum docueris me  
iustificationes tuas.

**P**ronunicabit lingua mea eloquium tuum: quia om-  
nia mandata tua æquitas.

**F**iat manus tua vt saluet me: quoniam mandata tua  
elegi.

**C**oncupiui salutare tuum Domine: & lex tua medi-  
tatio mea est.

**V**iuet anima mea & laudabit te: & iudicia tua adiu-  
uabunt me.

**E**rravi sicut ouis quæ perijt: quære seruum tuum, quia

H h      mandata

mandata tua non sum oblitus,

**G**loria Patri, & Filio: & spiritui sancto.

**S**icut erat in principio, & nunc & semper: & in saecula saeculorum. Amen.

Symbolum Athanasij.

**Q**uicunq; vult saluus esse: ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem.

**Q**uam nisi quisq; integrum in uiolatamq; seruauerit: absq; dubio in aeternum peribit.

**F**ides autem Catholica haec est: vt vnum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate veneremur.

**N**eq; confundentes personas: neq; substantiam separantes.

**A**lia est enim persona Patris: alia filij: alia spiritus sancti.

**S**ed Patris & filij & spiritus sancti vna est diuinitas: & qualis gloria coetera maiestas.

**Q**ualis pater, talis filius: talis spiritus sanctus.

**I**ncreatus Pater, increatus filius: increatus spiritus sanctus.

**I**mmeſus pater, immeſus filius: immeſus spiritus sanctus.

**A**eternus pater, aeternus filius: aeternus spiritus sanctus.

**E**t tamen non tres aeterni: sed unus aeternus.

**S**icut non tres increati nec tres immensi: sed unus increatus & unus immensus.

**S**imiliter omnipotens pater, omnipotens filius: omnipotens spiritus sanctus.

**E**t tamen non tres omnipotentes: sed unus omnipotens.

**I**ta Deus pater Deus filius: Deus spiritus sanctus.

**E**t tamen non tres dij: sed unus est Deus.

**I**ta Do-

**I**ta Dominus pater, Dominus filius: Dominus spiritus sanctus.

**E**t tamen non tres Domini: sed unus est Dominus,  
**Q**ui sicut sigillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur.

**P**ater a nullo est factus: nec creatus, nec genitus.

**F**ilius a patre solo est: non factus, nec creatus sed genitus.  
**S**piritus sanctus a patre & filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

**V**nus ergo pater, non tres patres: unus filius, non tres filii, unus spiritus sanctus, non tres spiritus sancti.

**E**t in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totae tres personae coeternae sibi sunt & coequales.

**I**ta ut per omnia, sicut iam supra dictum est: & unitas in trinitate, & trinitas in unitate veneranda sit.

**Q**ui vult ergo saluus esse: ita de trinitate sentiat.

**S**ed necessarium est ad aeternam salutem: ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

**E**s ergo fides recta, ut credamus & confiteamur: quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est,

**D**eus est ex substantia patris, ante saecula genitus: & homo ex substantia matris in saeculo natus.

**P**erfectus Deus: perfectus homo ex anima rationali & humana carne substens.

H h 2 AE qualis

**A**E qualis patri secundum diuinitatem: minor patre secundum humanitatem.

**Q**ui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed unus est Christus.

**V**nus autem non conuersione diuinitatis in carne: sed assumptione humanitatis in Deum.

**V**nus omnino, non confusione substantiae: sed unitate personae.

**N**am sicut anima rationalis & caro, unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus.

**Q**ui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis.

**A**scendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

**A**d cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt, de factis proprijs rationem.

**E**t qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.

**H**æc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit: saluus esse non poterit.

**G**loria Patri, & Filio: & Spiritui sancto. **S**icut erat in principio, & nunc & semper: & in sæcula sæculorum. **A**.

PASSIO



# PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SE- cundum Ioannem.

**E**gressus est Iesus cū discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas (qui tradebat eū) locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem queritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus: Ego sum: Stabat autem & Iudas (qui tradebat eum) cum ipsis, vt ergo dixit eis, ego sum: abi-erunt retrosum & ceciderunt in terrā. Iterum ergo in-terrogavit eos: Quem quæratis? illi autem dixerunt: Ie-sum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me quæratis, finite hos abire. Ut implere-tur sermo quem dixit, quia quos dedisti mihi, non per-didi ex eis quenquam. Simon ergo Petrus habens gla-dium, eduxit eum: & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi pater nō vis, vt bibam illum. Cohors autem & tribunus & mi-nistri Iudæorum comprehendenterunt Iesum, & ligauē-runt, & adduxerunt eum ad Annā primum. Erat enim sacer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem

H h 3 Caiphas

qui consilium dederat Iudeis, quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus Pontifici, & dixit ostiaria, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille, Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis & de doctrina eius. Respondit Iesus & dixit, Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo quo omnes Iudei conueniunt, & in occulto locutus sum nihil; Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quae dixerim ego. Hec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens: Sic responde Pontifici! Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de me; si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dixit ei unus ex seruis Pontificis, cognatus eius cuius abscondit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, & statim gallus cantauit. Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in præto-

## Supra Infirmos

in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt man-  
ducarent Pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, &  
dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominē  
hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic  
malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit eis Pila-  
tus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iu-  
dicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet  
interficere quemquam. Ut sermo Iesu impleretur, quē  
dixit, significans qua morte esset moriturus. Introiuit  
ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, &  
dixit ei: Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A te-  
metipso hoc dicis, an alij tibi dixerūt de me? Respondit  
Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pōti-  
ces tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus:  
Regnū meū non est de hoc mundo, si ex hoc mundo  
esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent,  
vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum  
non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Re-  
spondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc  
natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimoniu-  
perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit  
vocem meam. Dixit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cū  
hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego  
nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo  
vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha. Vultis ergo  
dimittam vobis regem Iudæorum? Clamauerunt rur-  
sum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barrabam. Erat  
autem Barrabas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus  
Iesum & flagellauit. Et milites plectentes coronam de

H h 4 spinis

## De oratione

spinis imposuerunt capiti eius. & veste psrpurea circundederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus portans spineam coronam & purpureū vestimentum. Et dixit eis: Ecce homo: Cū ergo vi-dissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicen-tes: Crucifige, crucifige eum. Dixit eis Pilatus: Accipi-te eum vos, & crucifigite, ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habem⁹, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cū ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei: Dixit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Ne scis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatē aduer-sum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærerbat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clama-bant dicentes: Si hunc dimittis, nō es amicus Cæsari. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pi-latus autem cū audisset hos sermones, adduxit Iesum foras, & sedid pro tribunali in loco qui dicitur Litho-strotos. Hebraicē autem Gabbatha. Erat autem paraf-ceue Paschæ hora quasi sexta, & dixit Iudæis Eccerex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eū. Dixit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam. Respon-derunt

## Supra Infirmos.

derunt Pontifices: Nō habemus regem nisi Cæsarēm. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. Suscep- perunt autem Iesum & eduxerunt eum. Et baiulans si- bi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha, vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus; & posuit super cru- cem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus Rex Iudæ- orum. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudeorum, quia prope ciuitatem erat loc⁹ vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latine. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudeorum: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudeorum. Respon- dit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperūt vestimenta eius, (& fece- runt quatuor partes, ynicuique militi partem,) & tuni- cam. Erat autem tunica inconsutilis, defuper contexta per totū. Dixerunt ergo adinuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Ut scripture imple- retur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserūt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius, Maria Cleophe, & Maria Magda- lenæ. Cum vidisset ergo Iesus Matrem & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur scripture, dixit: Sitio. Vas ergo posi- tum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam

H h 5 acero,

## De oratione

aceto, hyssopo circunponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatus est. Et inclinato capite tradidit spiritum. (Prostratio.) Pater noster. Iudaei ergo quoniam parasceue erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis. Facta sunt enim haec, ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Post haec autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudeorum) ut tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixruram Myrram & Aloës quasi libras centuui, Acceperunt autem corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudeis sepelire. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter parasceuen Iudeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum. Deo gratias.

ORATIO.

## ORATIO.

**R**Ogo te dulcissime Deus, ut mors tua amarissima,  
passio omnium membrorum tuorum mortificet  
in omnibus membris meis omnia mala, quæ impedi-  
unt fructum passionis tuæ. Et viam spiritualem mihi  
in præsenti concedat, & æternā in futuro tribuat. Peto  
etiam Domine, ut quotidie os meū aperire digneris,  
& aquas gratiæ de latere tuo mihi haurire concedas, &  
illum potum mihi propines ad quem inuitasti fideles  
sipientes cum dixisti: Si quis sitit, veniat & bibat, & de  
ventre eius fluent aquæ viuae. Respice ergo Patet san-  
ctissime de excelso cælorū habitaculo faciem Christi  
filij tui: & suscipe illud holocaustum suauissimi odoris,  
& accepta hanc hostiam quā offert tibi summus Pon-  
tifax noster Iesus Christus pro peccatis meis. Et esto  
mihi placabilis in præsenti per gratiam, & in futuro  
per gloriam. Amen.

## EXORCISMVS DAE-

MONIACORVM.

**Q**Via etiam ad officium sacerdotum spectat, & per-  
tinet vexatis a dæmonibus per sibi ab Ecclesia tra-  
ditam potestatem, quantum in se est, per diuinam grâ-  
tiâ manus imponere, & dæmones, tam Christianos  
baptizatos quā Catechumenos vexantes adiurare, ex-  
orizare, & expellere de eorum corporibus: subsequen-  
ter ponitur in calce hui⁹ operis exorcism⁹ sanctorum:  
quē cum puritate conscientiæ, & magna humilitate  
legere debent, nihil sibi, sed omnia Dei virtuti & Ec-  
clesiasticæ potestati attribuendo.

Instructio